

Quaestio medica cardinalitis disputationibus... / M. Andrea Cantwel ... An sex rerum non naturalium effectus ad quatuor praecipua possint reduci capita?

Contributors

Petiot, Honoré 1715-
Cantwel, André, -1764
Université de Paris. Faculté de médecine.

Publication/Creation

Paris : Quillau, 1751.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ct7arq9d>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DEO OPTIMO MAX.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITII S DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-nono
mensis Aprilis, Anno Domini M. DCC. LI.

M. ANDREA CANTWEL, Regiæ Societatis Londi-
nensis Socio, Doctore Medico, Præside.

An sex rerum non naturalium effectus ad quatuor præcipua possint reduci capita?

I.



ES non naturales vocantur eæ, quæ quidem proximam corporis non ingrediuntur compositionem, sed quæ sunt ita necessariæ, ut sine iis homo vivere non possit; talia sunt aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, & animi pathemata. In harum sex rerum cognitione versatur hygiene; earum enim ope sese sanum conservat homo; abusu multiplices patitur ærumnas; usu debito morbos avertit nonnunquam & profligat. Triplicis hujusce propositionis certa est constansque veritas.

A sanis parentibus ortus homo inciperet vivere; ad suum usque à naturâ definitum limitem cresceret; sine notabili incommodo virilis ac constantis ætatis stadium decurreret; sensim sine sensu decrederet cujuslibet ægritudinis expers; consueto tandem quasi indulgens somno, placidè & sicut spontè fatisceret. Feliciter sic sanè vivit, qui alimenta & potulenta sibi propria, & debitâ quantitate & modo convenienti seligit, qui in aere puro degit, movetur debitè & postea quiescit, moderatam post vigiliam sufficienti indulget somno, suæ propria naturæ quæ non sunt excernit, quæque sua sunt retinet, & animi pathematis haud vexatur. Hæc esset hominis natura, ut plures à semetipso averteret calamitates; quod quidem factû difficile minùs est, quàm primâ statim fronte videtur. Nullo certè alio vitam incolumem conservat artificio hygiene, quàm sex rerum non naturalium convenienti usu; neque dubitare est quin ita semper servaret homines Medicina, si, ut par est, ipsi, obtemperarent, præcipuos saltem averteret morbos, & quò statim incipiunt, hos paucis profligaret remediis. Certum est homines in vitæ regimine non adeò peccantes, minùs infirmos esse, & ad longævitatē feliciùs pervenire; at simpliciter attendendum parcè viventes vix ægrotare, parùm comedentes longiùs vivere.

Quot autem è sex rerum non naturalium abusu ærumnas patiatur homo, sat superque comprobat experientia. Quot ex aère impuro morbi? Quot ex animi pathematis? Ex nimia corporis agitatione, &c. sed ex assumptis præsertim & potulentis? Animi sanè pathemata & inordinata nutritio morbos plerosque producant, morbos gignit præcipuèque fovet voracitas; undè præstantiores apud Medicos, omnes ferè morbi à pravis digestionibus oriri dicuntur; nonnè febres quæcumque humorales, putrida præcipuè, maligna, febres intermittentes, morbi plures inflammatorii, alique acuti, tum & omnes ferè chronici, suam à pravis digestionibus trahunt originem? Ex alimentorum autem & potulentorum abusu pravæ pendent digestiones, sive in assumptorum quantitate, vel in qualitate homo peccaverit; nam qui ad satietatem usque appetitui indulgere se posse, modò facilioris coctionis seligantur alimenta, existimant, ù graviter errant. Hæc, copiosius assumpta, in stomacho depravantur, suntque morborum germina.

Quòd autem debito sex rerum non naturalium usu nonnunquam morbos

profligare possit homo, eorum omnium, qui per solam se curant diætam, testatur experientia; hoc tantum auxilio quædam continuæ & intermittentes curantur febres; alii alioquin lethales, aut vix curabiles avertuntur morbi; in chronicis quot, aliâ quâcumque incassum adhibitâ methodo, regimine, lapsu temporis, evanescent? Quot præcaventur recidivæ? Quid ergo pro diversâ administratione sex res non naturales agant, quænam in corpore humano indè mutationes exoriantur physicæ, nunc explanandum venit. . . Ut sanitas stet incolumis, ritè humores circumduci & moveri debent. Ut hæc fiant, necessaria quædam requiruntur conditiones: certa scilicet in fluidis consistentia, partium fluida constituentium debita proportio, & intima mixtio, quædam fluxilitas, & homogeneitas, debitaque dulcedo. In vasis verò certa tensio, flexibilitas, & conveniens reactio. Horumce defectu morbus adest; fluida si sint nimis inspissata, si non debita sit eorum proportio & mixtio, non satis sint humida, plus æquò sicca, si nimis acria, neque satis homogenea; si nimis laxa sint vasa, si tensa, rigida nimis, nimioque polleant elatere, præstò erit morbus. Hæc quidem sex rerum non naturalium usum subsequuntur vel abusum, eâ lege ut hoc vel altero inter se constanter combinentur modo. Atqui combinationes istæ numero sunt quatuor.

1^o. *Nimia fluidorum inspissatio.*

2^o. *Partium fluida componentium mala permixtio, & exuperantia feri cum notabili vasorum laxitate.*

3^o. *Fluidorum siccitas cum aliquali acrimoniâ, & nimia vasorum tensione.*

4^o. *Fluidorum acrimonia cum aliquali ut plurimum eorundem inspissatione (a).*

I F.

AB aëre humido, sicco, frigido, calido, vel inquinato sæpiùs humanum læditur corpus (b). *Humidus* emollit, solidaque laxat, eorum vim, & innatam staminum adhæSIONem imminuit, minùs est elasticus, neque satis premit corporis peripheriam, nec satis pulmonaria fulcit vasa; hinc tonus, robur, & vasorum elasticitas destruuntur; hinc exagitandis trudendisque fluidis impares eorum fiunt vires. Cum autem nativa sit inter partes, fluida nostra constituentes, attractio, quâ sese mutuò attrahant, & agglutinentur quæ sunt viscosa; vis aliundè requiritur quæ nimiam hanc partium attractionem & cohibere & dirimere valeat. *Vis ea* sistalticus est vasorum motus; quâ imminutâ antagonistam vim superat vis attractionis, sicque sponte suâ nimia exoritur fluidorum spissitudo. Porro fluidorum spissitudine datâ, imminutâque vi premente, fluidorum aquosiora & tenuiora, ut potè per se fluida & mobilia, à viscosis & à crassioribus secedunt; itaque sui facta juris *aquositas*, vasorum fibras ulterius adhuc humectat & emollit, & abolito tandem tono, inertes prorsus reddit. . . . Indè duplici quasi sub formâ provolvuntur humores, partibus viscosis indebitè mixto feroso latice; indè mala fluidorum miscela, malaque exoritur proportio; hinc saltem, quoad sensum, abundantia feri, notabilisque vasorum laxitas. Præ nimia virium impellentium debilitate & laxitate, non æquè reparantur, in eo casu, rubri sanguinis globuli, quæ viscida sunt & crassa non atteruntur satis, non densantur, æqua non fit excrementiorum depuratio, proindèque homogeneæ satis nec analogæ sunt chyli partes, ut in genuinum immutentur cruorem, sed in laticem aqueum totus ferè mutatur chylus; hinc nedùm corpus floridum (c), totum quasi ex aquositate tumescit. . . Pulmone, cute, tum intestinali viâ, aqueas sanguini partes suppeditat *humidus aër*; pulmonalis aliundè & cutanea imminuitur perspiratio, ipsorumque pulmonum substantia perficien-

(a) Ita procedendo devenimus ad ea quæ debitum sex rerum non naturalium subsequuntur usum; quid enim earum in nobis agere possit usus, nos quidem edocet earundem abusus; huic proindè adstipulabimur methodo; de iis sex rebus non naturalibus speciatim dicturi, quæ nostro tantum conducunt proposito concinnè referemus, quantacumque, parùm attendenti, plura alia prolixiùs elucidandi viderer necessitas.

(b) Ex quibus vel excedentis, vel deficientis elaterii, aliique aëris deducuntur effectus.

(c) Putà in chlorosi, in leucophlegmatia, & in hydropicis affectibus.

da hæmatosi non æquè habilis est: dum tunc temporis digestiones haud debite sunt. Ex iis ergo luxuriat feri colluvies, &c.

Siccus aër immediatè quidem è pulmonibus & cute exhalantia absorbendo fluida, corpus nimis exsiccat: suo intrà pulmones ingressu, & immediato cutis contactu, humidum consumit (a). At quâ proportionè è corpore humano copiosius exsuguntur halitus, eadem ad cutim derivantur; id est fluidis ponè sequentibus viam parat ea deperditio: pulmonalis itaque & cutanea uberior fit secretio; sed indè magis ac magis de suo deperdit vehiculo sanguinis massa superstes; exsuccæ fiunt & aridæ, minùs humectatæ, suoque orbata vehiculo crassiores fluidorum moleculæ; humorum indè producitur ita siccitas, multò quidem citius, si absorbentia subeundo vasa, siccus & sitiens sanguini immisceatur aër (b). Hâc positâ siccitate fluidorum, falsedo & acrimonia necessariò subsequuntur; 1°. enim cum humorum intrà compagem naturalitèr intricati sales, præ defectu menstrui non æquè dissoluti sint, suâ nunc vigent attractione mutuâ, eorum grandescunt moleculæ, suasque sub latiori formâ, magisque concentratâ exerunt vires. 2°. Cum generalis fluido cuicumque oleoso & gelatinoso hæc insit lex, ut tum aquei deperditione, tum à calore adventitio, tum ab aliâ quâcumque causâ rancescat; hoc in casu partes humorum gelatinosæ, lapsu temporis, rancidæ fiunt, consumitur vulgò dictum sanguinis balsamum, eoque depauperatur sanguis, consumpto quidem radicali humido; undè falsedo fluidorum & acrimonia. Eâ rursus positâ siccitate læduntur solida; quippè non satis humectata tunc & emollita siccescunt & arêscunt; sed arêscendo tenduntur, vibratilia magis fiunt, attractionis vires efficacius exerunt primigeniæ eorum parietum moleculæ, mox exsucca nimis siccescunt, crispantur, solidorum indè spasmodicæ contractiones & inordinatæ. Ab aquei laticis deperditione, à nimiâ tensione & aucto vasorum tono magis compinguntur rubri sanguinis globuli, adunantur, densantur, durescunt, & juxtâ nonnullos acrimonia fit mechanica.

Ex nimiâ autem virium impellentium tensione, & ex memorato fluidorum statu, ad rarefactionem in fluidis subsequitur dispositio; sive, ut aiunt recentiores Physici, à molecularum aëris *vi repulsivâ*, hæc sanguinis partium proveniat expansio (c), sive à calore, ab igneis partibus, vel à quasi tunc resinosâ fluidorum naturâ, vel à contractionibus spasmodicis hæc proveniat; quidquid sit, in eo siccitatis statu hæc manifestius habentur, & fluidorum rarefactionem esse in ratione eorum siccitatis, novissè Medico satis est.

Ex iis quæ de aëre humido & sicco delineavimus, exoriri quatuor quæ suprâ diximus, manifestum habebitur; duo priora producit *humidus aër*, fluidorum scilicet *inspissationem*, & *cum notabili laxitate vasorum*, *feri exuperantiam*.

Producit autem *siccus aër*, fluidorum *cum aliquali acrimoniâ siccitatem nimiam*, *solidorumque tensionem*; & *cum aliquali inspissatione nimiam fluidorum acrimoniam*.

Frigidus aër fluida densat, frigescendo eorum imminuit motum; ergo innata illa quam ad contactum & ad mutuam adhæSIONem mucilaginosâ habent, augetur vis; hinc inspissatio. Transpirationem cohibet aër frigidus, sed eâ cohibitâ redundant excernenda, partimque in massâ sanguineâ excrementitius retinetur humor, partimque in eam è cute refluit (d): ex hâc potissimum duplici causâ fluidorum exurgit *inspissatio*, lapsu temporis, *feri expressio*, *mala illius miscela*, *exuperantia*, moxque *notabilis vasorum subsequetur laxitas*, etiam si in limine roboret solida & tendat frigidus aër (e).

(a) Quam avidè aquam siccus appetat aër, docent Chymia & Physica.

(b) Siccus aër majori pollet elaterio.

(c) Dum enim copioso innatabant latice aëris particule, à se invicem dissolutæ erant & resolutæ; nunc verò eadem experiuntur ac sales, &, ut loquuntur Chymici, aliqualis forsitan ibi fit aëris regeneratio.

(d) Cum excrementitia refluent, quantum idè inspissetur sanguis & inquinetur, norunt Clinici.

(e) Plurima de tali aëre, ut potè causa sit morborum sæpius occurrens, dicenda forent; sive su-

Aër calidus sudorem & ulteriorem promovet perspirationem, exsucca fit exin massa superstes, partibus depauperata tenuioribus; siccitas ita præparatur, sed & siccescunt, rigescunt vasa, & absorpto, ut loquuntur, radicali humido, arefcunt colatoria; hinc tensio nimia, & reactio quâ ulterius siccescunt fluida; sed ab aquei laticis deperditione sales adunantur, concentrantur, oleosa rancescunt, densiores fiunt & duriores moleculæ; undè fluidorum acrimonia, & ad rarefactionem subsequitur proclivitas.

Hinc acrem & siccum sanguinem Regionum Meridionalium populi, dum Australium incolæ spissum & humidum habent: calidis consequenter morbis priores, frigidis verò posteriores magis sunt obnoxii (a).

Cùm omnium cujusque speciei effluviorum, animalium scilicet, vegetabilium, mineralium cahos sit aër, multiplici miasmate inquinatur; miasmatum porrò horumce omnium effectus poterunt ad sequentia reduci. Fluida vel inspissant & coagulant, vel nimis humectant, vel exsiccant, vel fluidis immixta, eadem reddunt acria, vel partium minimarum mutando situm, fluidorum molem subvertunt, vel rursus acria nervæum systema præcipuè lædunt. Intrà pulmones præprimis suas exerit vires talis aër, & primas intrà vias succos inquinando *digestivos*, chylo quidem ut & esculentis potentissimè de labe suâ communicat. Neque dicas minimam vix aëris portionem primas subire vias: præterquamquòd id gratis dicatur, minima sufficit pars, dum fermentorum ad instar hæc sese multiplicant miasmata, ut docent chemia, physica, venena, morbi contagiosi (b).

I I I.

CIBO & potu, ut par est assumptis, vivit, viget & valet homo; voraciùs licet optimè selecta si ingerantur, plethoram, ubi digeruntur, producant, vel malè digesta, vitiant & depravant digestionem; si parciùs adhibeantur cibus & potus, non satis reparantur fluidorum deperditiones. Porrò fluidorum imminutâ mole, sistalticæ labescunt vires; sed & motu & calore fluida rancescunt, eâ fluidis mucilaginosi impositâ lege ut diximus. Aquosi ergo & mucilaginosi requiritur additio, quæ sanguini balsamum suppeditent, suamque propriam ei concilient diathesim, ne gangrænodæ subsequantur ingurgitationes. Sæpiùs porrò qualitate peccant assumpta. Nunc enim sunt viscosa nimis, nunc coagulantia, nunc aquosiora, nunc sicca nimis & arida, nunc acria, stimulantia, & rarefcentia. Viscida nimis alimenta viscidum producant chylum; ejusdem indolis cruorem gignit ille chylus; per vasa minima immeabilem secretionibus materiem præbet cruor; tenacia hæc vasis minimis sistuntur, quandoquidem vasorum actione capillarium atteri & comminui non valeant; partes igitur aqueæ & tenuiores viscidis & mucilaginosi non satis commixtæ, vim earum attractivam non æquè dirimunt, sed ad columnæ fluentis sanguinis latera feruntur. Fluida rursus præ suâ spissitudine, ultima, quibus vasorum constant parietes, non subeunt vascula, conquassans inde & attenuans imminuitur eorum robur & actio; hinc vel ab attractione spontaneâ, vel à sistalticarum virium defectu, vel ab utroque simul oritur inspissatio, & luxuriat serum. Coagulantia alimenta nimis densant crassiora, ex eorum sinu tenuiora, aquosiora exprimunt, hinc mucilaginis cum seroso vehiculo non æqua mixtio fit, hinc concretio-

bitò indè patitur corpus, sive lentè & pedetentim, sive cutis & pulmones immediatè afficiantur, rhorborum acutorum, tum chronicorum numerosa esset assignanda series, sed nostrum vetat propositum.

(a) Non de aëre nimis calido statim corpus afficiente hic agitur; corpora enim debilitat & resolvit.

(b) Ex dictis constat quis sanitati servandæ, & amissæ restituendæ conveniens sit aër, qui nimirum non peccat excessu memorato. Nobis in genere convenit siccus vixque humidus aër, qui suo pollet elatere, qui quamdam frigidum inter & calidum servat temperiem; hoc etenim aëre fluidis fluxilitas, debita pressio & tensio solidis conciliantur; hinc humorum circuitus, secretiones quæcumque & excretiones debite peraguntur, & debite fiunt digestionem; in tali aëre alimenta potentissima multò magis esse requisita, magis esse alacres homines, corpusque vegetiùs exercitari, addit etiam potest. An *ens* vivificum insit aëri, *spiritus rector* qui vivificat, nutrit & corpora refocillat, ut egregii putant Chymici?

nes & inordinatæ coagulationes. Aquosiorum chylum & vappidum, activisque non satis insignitum moleculis, aquosiora suppeditant alimenta, inde ferè aqueus sanguis, vasorum actioni non satis resistens; hinc vasorum frangitur elater, hinc non floridus sanguis, sed carniū loruræ erit ad instar. Sicca nimis alimenta chylum non sufficienter humidum neque satis fluxilem suppeditant, pariter inde siccescunt & arescunt colatoria. Alimenta autem acria hanc impertiunt sanguini labem; quæcumque ea sit acrimonia præ nimio stimulo vasorum eduntur irregulares & inordinatæ contractiones, hinc sæpè clandestinæ vasorum erosiones. Assumpta verò quæ exagitant, in nimiam expansionem sanguinem concitant, sicque nimis rarefcunt (a).

Motu moderato humorum fovetur circuitus, cujuscumque excrementitii depuratio fit, digestiones rectificantur. *Quiete debitâ* vires refocillantur, motus, si fuerint inordinati, pacantur, partium felicius nutritio perficitur. Fluida exagitat nimis motus, tenuiora dissipat, crassiora densat, exprimit solida, exsuccaque corpora reddit, hinc inflammatoria diathesis, nimia vasorum tensio, & præprimis nervosi systematis. Hæc quidem à motu nimio paulatim & sensim adaucto ita eveniunt; mox enim resolvitur corpus, si motu nimio & subitaneo agitur, virium systalticarum subsequente atoniâ. Præter cordis & arteriarum, in nimio motu, intensam nimis actionem, omnium corporis musculorum (b) inordinatè intenditur actio; fluida hinc intensius exprimuntur, agitantur, tumultuose volvuntur, incalescunt, rarefcunt, è locis devia fiunt, hoc est sine ordine obvia quæcumque subeunt vasa. *Quiete nimia* impellentes languescunt vires, impellentiumque virium auxiliatrix muscularis deficit actio; ideò inspissantur humores, sed præprimis debilitantur digestiones, secretiones pariter languescunt & excretiones, cohibetur transpiratio, unde præter inspissationem, feri sequitur abundantia, & solidorum laxitas.

Quoad somnum, eadem, paucis mutatis, quæ diximus de quiete, hæc sunt intelligenda, eâ tantum differentiâ, quod per somnum magis quàm per simplicem quietem quiescat homo, & quod, ut ita dicam, topicè in somno afficiatur cerebrum, magisque lædatur quam aliæ partes; somno quidem nimis protracto, cerebri ingurgitantur vasa, eorum factâ dispositione varicosâ, soporosi præparantur morbi; inde qui plus æquò indulgent somno, soporosis ut plurimum afficiuntur morbis, qui verò quieti nimis, morbis abdominis. Sed cum sæpius ad somnum ducat quies, hinc & in soporosis affectibus corripitur solent. *Vigilia* eadem ferè producit ac motus, cum eâ itidem differentiâ, quod magis afficiatur cerebrum, nimia scilicet tensione; hinc ab eo respectu morbi plures; præ nimia autem tensione, atoniam si patiantur cerebri fibræ, soporosi & etiam subsequuntur affectus.

(a) Itaque ad tuendam sanitatem & ad amissam restituendam, quænam necessaria sint assumpta, & quonam quisque uti debeat regimine, ex his pariter constat; quodcumque individuum intelligo; cum enim suam quisque peculiarem sibi propriam habeat idiosyncrasiam, naturæ suæ speciatim congruentia, sibi quisque seligere debet alimenta; quibus siccum & calidum est temperamentum, humidis, minusque calidis nutriri debent alimentis; qui autem temperamenti humidi sunt, & frigidi, sicca & calida seligant alimenta; ita ut *contraria contrariis curentur*. Cum autem nostra in genere ad falsedinem & ad rancidam indolem constanter vergant fluida, calidis non indulgeamus assumptis; ac multiplices sanè & innumeræ in seligendis alimentis varietates occurrunt; assumpta etenim quæ omnibus ferè nocent, quibusdam sunt proficua; quæ difficilioris sunt coctionis optimè digerunt alii, dum alii quæ facillimæ sunt digestionis non valent subigere. Dantur ejusmodi occultæ dispositiones, ita ut, pro diverso gustu, totidem reperiantur discrepantiæ; hæc quoque multum valet consuetudo, eaque nobis miranda sanè offert in regimine, ut in suâ thesi egregiè comprobavit nuperrimè *M. Lavitrotte*. Quoad *quantitatem* innumeræ similiter occurrunt varietates, dum tam parcè, frugaliterque nutriti optimè valeant Anachoretæ, dum & ipsi tantoperè nutriti valeant helluones. Erit ergò difficillimum in observando regimine regulas tradere, si cujuscumque individui temperamento non attendat Medicus, ac si à regulâ generali secedere sæpè nolit. Plus æquò homines in genere appetitui indulgent; nobis quidem assentirentur, si corpus non ex deglutitis, sed tantummodò ex benè digestis nutriri, noscerent; atque si homines, frugalem vitam degentes, & à consuetudine suâ inter nutriendum vix recedentes, sanitatem suam servare diu incolumem, & ad usque longævitatē pervenire attenderent, etiam si laboribus indefessis & misere exerceantur.

(b) Quæ viribus cordis & arteriarum multò validior est.

CUM nostros inter humores alii sint excrementitii, alii recrementitii, ut sanum perstet corpus, excretiones patiatur necessum est. Cum enim tot varia, totque multiplicis generis assumpta, ut in verum mutantur cruorem, non satis sint analoga, partium fieri debet inutilium separatio, & quæ nobis sunt analoga evolvi debent & separari; hinc divisionem patiuntur assumpta in toto elaborationis suæ tractu, putà in primis viis, in communi sanguinis oceano, ibi præsertim renum ope, & organi cutis; aliundè cum nostri continuò rancescant humores & alkalescant, excerni debent istæ rancidæ partes, ne fiat inquinatio; ergò si hæc multiplex parcè nimis fiat excretio, inquinatio, inspissationis, exuperantiæ seri, nimix acedinis aderit periculum. Verùm uberiùs eæ si fiant excretiones, plura nequaquam excernenda, sed penitùs retinenda effluunt, non minora hinc exurgunt pericula. Corpus enim resolvitur, & quæ subsistunt fiunt acria. Excreta hæc in *sanguinea* & *serosa* dividi possunt: aliqualem fluidorum inspissationem, sed insignem præcipuè in systemate vasorum laxitatem, & indebitam consequenter in fluidis miscelam producant uberiores *sanguinea* excretiones (a), penitùs imò corpus resolvunt eæ si subito & copiosè fiant excretiones. *Serosa* autem excretiones, intestinalis, cutanea, renalis, insignem in fluidis & in solidis siccitatem producant & acrimoniam (b). *Animi pathemata*, alia corpus valdè exagitant, nempe contentiones animi, ira, vendicia, ambitio, &c. alia languidum & imbecille corpus efficiunt, & ut ita dicam, in consternationem ducunt, talis est tristitia; hinc in *activa* & in *languida* commodè dividi possunt animi pathemata. Species utraque suam propriam gignit & fovet morborum speciem; eosdem producit morbos prior, ac nimius motus & vigilia. Sed primò in genus nervosum, quod hîc proprium est, vires exerunt; systalticæ dein afficiuntur potentiæ, mox autem à solidorum affectu fluida læduntur; dum stimulatur nervosum genus, totum mox tenditur systema vasorum, systalticæ crescunt vires & sine ordine moventur, nunc regulari, nunc irregulari modo; ideo fluida maximè exagitata impetuosè ruunt, abnormes vividioresque patiuntur motus, tenuiorum unde dissipatio, unde coccineorum densitas globulorum partisque fibrosæ cruoris, inde siccitas & acrimonia subsequuntur. At dum fluida impetuosè ita ruunt, dum vehementer systalticæ ita resiliunt vires, per plura sæpè momenta motus ille reciprocus subsistit subito & quiescit, rursus mox exsuscitatur, spasmodicèque convellitur, ita ut immobile nunc (c), nunc agitaturn (d) videatur corpus, nunc & etiam in veram decidat atoniam. Hîc simili modo afficitur cerebrum, ac in nimia vigiliâ. *Languida animi pathemata* genus nervosum totumque systema vasorum laxant, systalticas ergò imminuendo vires, reddunt eas imbecilles; hinc humorum imminuitur circuitus, hinc inspissatio & seri præparatur exuperantia. In languidis animi pathematis quandoque per intervalla spasmodicè contrahuntur vasa, valdè agitato corpore, ut quidem in homine tristi & desperato observare est; tunc apud eos homines, activorum & languidorum animi pathematurn fit combinatio, quia duplici hoc & contrario animi corripuntur affectu; qui enim tristitiæ indulgent, per intervalla sæpè desperantur, vel quandoque & per momenta nimis sibi confidunt, dum averrendæ causâ tristitiæ meditantur auxilia. Hinc in spe vel in desperatione nervosum tenditur genus, nunc autem laxatur, quando nempe tristis & meditabundus agnoscit medium, quod priùs excogitaverat, nunc inutile esse aut merè fictitium; eadem itaque ferè

(a) Ideò qui nimis venæ sectionibus indulgent, cachexiâ ut plurimùm & morbis pereunt hydro-picis, nisi sint admodum plethorici.

(b) Hinc inflammatione, gangrænâ sæpissimè ejusmodi pereunt ægri. Ita ergò corpus sanum excretiones pati debet, ut ii solummodò, qui vulgò audiunt excrementitii, excernantur humores, minùs verò balsamicæ & aqueæ partes.

(c) Plures enim à forti affectione animi, catalepsiâ fuere correpti, plures sincopè, imò subitaneâ morte.

(d) Ut videre est præsertim apud mulieres hystericas, apud melancolicos, apud eos qui sunt multum iræ proclives, qui omnes, ut ita dicam, vel dum res gerunt domesticas, statim convelluntur.

à languidīs animi pathematis, ac à nimia quiete subsequuntur, cerebro præcipuè tamen affecto. Quomodo animi pathematā agant in corpus, nemo scit; effectus novisse, & quantum ab iis totum afficiatur corpus Medico sufficiat, de quā re ne minimè quidem dubitabit in praxi tantisper versatus (a).... Sex rerum non naturalium traditis speciatim effectibus, hos omnes ad quatuor memorata posse reduci capita manifestum est.

V.

SEX res non naturales multiplici modo combinari possunt. 1°. Simul omnes in ordine ejusdem effectus. Si humidus sit aer, assumpta sint viscosa, diluentia, frigida, si quies nimia, si longior somnus, serosa excreta si parciora, vel si uberiora sanguinea, languida si sint animi pathemata, fluidorum producet in spissatio, mala deinde mixtio, abundantia feri & notabilis vasorum laxitas..... siccus verò si sit aer & calidus, assumpta si sint acria, motus si sit nimius, parca si quies, parcus, protracta longius vigiliā, somnus, serosa excreta si sint uberiora, vivida & activa si sint animi pathemata, nimia producet fluidorum siccitas, solidorum tensio, & humorum acrimonia.

2°. Omnes nunc ut supra combinantur, & ideo talis aut talis citius subsequitur effectus; minori nunc combinantur numero, tuncque tardius producit effectus.

3°. Inter sex res non naturales ad effectum producendum sufficit una, licet aliæ quinque non peccaverint; ita v. g. ad producendam inspissationem, serique cum laxitate vasorum abundantiam, sufficiet nimia quies, etsi nullus quoad alias res non naturales commissus fuerit error. Nimia similiter corporis agitatio, exercitatioque sola fluidorum nimiam producit siccitatem, solidorumque tensionem; & ut plurimum sanè non omnes combinantur simulque concurrunt sex res non naturales, sed una solummodo aut altera.

4°. Sex autem res non naturales non in eundem quidem combinantur ordinem; sed in diversum & contrarium; multiplexque tunc subsequitur effectus. Si eadem proportionem fiat combinatio, nihil exorietur; aer v. g. siccus, cum assumptis diluentibus; cum humido aere motus nimius, sicque de cæteris; vix tunc mutabuntur res. Nam quā proportionem corpus exsiccabit siccus aer, eadem sanè per assumpta diluentia illud restaurabitur; nimius similiter motus nimiam compensabit aeris humiditatem, aut erit vix differentia..... si autem non eadem sit combinationis proportio, pro majori vel minori ipsius ratione, talis aut talis præstò aderit effectus; maxima enim si sit aeris humiditas, non eā autem proportionem motus corporis intendatur, aeris tunc prævalebit humiditas, & temporis lapsu, (tardius quidem) ab aere humido dependens producet effectus: à fortiori si duo, tria, aut numerosiora simul combinantur. Si in aere v. g. humido, assumptis enutritis diluentibus, somno nimis indulgens vitam agat homo, etiamsi, respectivè ad alios homines, plus æquò corpus exerceat, non quidem motus nimii, sed trium aliorum prævalebit effectus.

5°. Sex rerum non naturalium effectus, per earundem oppositum & contrarium effectum destrui potest. Ita fluidorum inspissatio, abundantia feri, vasorum laxitas ab aere humido, à cibo & potu diluentibus, à quiete nimia, à serosis parcioribus excretis, à protracto longius somno, à languido animi pathemate, destrui possunt ab aere sicco, à cibo & potu acri, à motu, à vigiliā, ab excretis uberioribus serosis, & ab exagitante & vivido animi pathemate. Ideò qui loca propè paludosa & humida vivere, & ibi corpus parum exercere, vappidis nutriti fuere esculentis, frigidis eā ratione obnoxii fiunt morbis, sed iis liberantur, in aliam, serenam nempe & calidam, transeundo regionem, ubi alium tenent vitæ modum; meridionalium similiter regionum incolæ, qui à sanguine sicco & acri

(a) Indè sanè ægris ut ab omni abstineant animi contentione tantoperè commendant Clinici; per remedia quidem exacerbari morbum, si aliquo animi pathemate vexentur ægri, observantes..... Quid usus eorum valeat & abusus, & quænam in corpore produci possint mutationes physicae, ex iis deducere est.

pendentibus cruciantur morbis, frigidas regiones & humidam habitando convalescunt, modò juxta regulas hoc fiat, nec aeris & regiminis nimis subitanea sit mutatio.

6°. Destruì non solùm potest effectus, sed etiam ex continuato sex rerum non naturalium usu producet contrarius: v. g. abundantia feri, & vasorum laxitas non tantùm destruentur, sed in decursu nimia producet fluidorum siccitas, & nimia solidorum tensio; & ratio est cur homines pituitosi, morbisque à frigido & à glutinoso dependentibus obnoxii, ex patriâ commigrantes, ibique sub cœlo sicco & calido degentes, & alimentis nutriti calidis, de naturâ suâ primigeniâ lapsu temporis mutantur, posteaque morbis à calido & ab acri dependentibus fiant obnoxii. Item chloreticæ, cachecticæque mulieres, à nimia quiete, à longiori somno, & à nimis diluente regimine, per nimium motum, parciorẽ somnum, & per calidum siccumque regimen, siccæ deinde fiant naturæ, calidæ, penitusque oppositæ.

7°. Quæ de variis solent dici temperamentis, cum iis quæ de sex rerum non naturalium effectu diximus, optimè congruunt; omnia enim in quatuor possunt resolvi temperamenta. In temperamentum scilicet humidum, frigidum, siccum & calidum, quæ in quocumque individuo, dein vario combinantur ordine. In humido & frigido fluida inspissantur, luxuriat serum, sæpeque vasorum adest laxitas; in sicco aquositate depauperata arida sunt fluida, & acria, tensaque nimis solida. Dum combinantur temperamenta, combinantur & etiam quatuor memoratæ constitutiones.

8°. Quomodò ex convenienti sex rerum non naturalium usu, vel abusu variè efformentur vel mutantur temperamenta hinc intelligitur.

9°. E sex rerum non naturalium abusu præparatur & fit causa continens morbi, & ex ipso earundem usu contraria causa hæc mitigatur, debilitatur, imò destruitur, morbus proinde producitur posteaque curatur.

10°. Quotiescumque non urget morbus, per hygienem institui debet curandi ratio, semperque curationibus per remedia institutis, in eo casu, debet anteponi; naturalis enim prior, posterior autem artificialis, dubia hæc & incerta, tutior autem illa, ferèque semper certa.

11°. In vivendi modum inquirendo Medicus, & ad sex rerum non naturalium quem fecerit æger usum attendendo, de morbi causâ continente verè judicabit; si sub sereno & calido vixerit cœlo, calidis & spirituosius nutritus fuerit assumptis, corpus multum exercuerit, parcè dormierit, uberiores passus fuerit excretiones, activis & exagitantibus cruciatus fuerit animi pathematis; fluida esse sicca, acria, solida autem tensa affirmare poterit Medicus (a). Item in eadem inquirendo, quonam morbo in vitæ decursu afficiatur homo, prævidere poterit ex cognitione morborum qui cuilibet causæ continenti proprii sunt. Ergò diagnosim & prognosim multum illustrabit sex rerum non naturalium scientia. Hinc quantum earum, à nobis sic definita atque ad simpliciorẽ normam redacta ratio prodesse possit, tam in theoriâ quàm praxi, certò constat; meritò igitur concludimus.

(a) Si tunc aliquando laxitatem observet, atoniam esse judicabit, quæ nimiam solidorum sequitur sæpè tensionem.

Ergò sex rerum non naturalium effectus ad quatuor præcipua possunt reduci capita.

Proponebat Parisiis HONORATUS PETIOT, Sabulonensis, Doctor Medicus
Monspeliensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.